

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0261

0259

0265

0255

249

inter eos, sive erant liberationes imperfectae, quae non
potuerunt durare, quia faciliter rumpuntur pacta et juramenta,
praecipue inter eos, qui ad eandem sectam induci non pos-
sunt, sicut sunt Christiani et Sarraceni, inter quos est etiam
naturalis inimicitia et odium disparis naturae, conditionis, mo-
ris et sectae.

0270

0250

0310

Tractatus

De totali liberatione Jerusalem et dominici sepulchri per occidentales populos.

0210

0360

0160

0760

Sepulchri dominici et civitatis Jerusalem et totius terrae
sanctae redemptio et liberatio totalis facta est sub Heinrico,
hujus nominis tertio, imperatore theutonico, Bavarо, et Urbano
Papa, hujus nominis II., quamvis antecessores eorundem
in conciliis et aliis diaetis et congregationibus principum et
episcoporum de hoc saepe consilia habuissent et factum ipsum
inchoassent, sed sine profectu. Unde tempore Heinrici II.
hujus nominis imperatoris, et Victoris II. Papae, Alemanni,
in concilio apud Turonem Galliae civitatem celebrato, anno
Domini 1055., ordinatum fuit de terrae sanctae liberatione.
Porro eo tempore Othus, magni ingenii maximaque rerum
gerendarum scientiae, ad pacem quidem et bellum perutilis,
Angleriae comes Mediolanique princeps, insignis erat. Hic ab
omnibus, qui Turonensi Synodo advenerant, ejus virtute cog-
nita capitaneus exercitus Domini contra Turcos et Sarracenos
ad liberationem sancti sepulchri Domini in Jerusalem electus
fuit. Qui pontifici caeterisque regibus uno annuit animo,
Jerosolymamque cum reliquis in bellum profectus est. Dum-
que circa eandem cum reliquis Christicolis hiemaret urbem,
multa quidem incommoda et damna Sarracenis intulit et ci-
vitatem sanctam angustavit, eam tamen capere nullatenus
valuit. Interea eo obsidente, Volucer quidam nomine, Arabs,
paganus trans Jordanem princeps, eo viso, ut erat animo
audax, ipsum Othum per interpretem ad singulares congressus
invitavit, quae res ab eo facillime exorta est, ac sic denique
sextam post diem ambo ad duellum processerunt equestres

Ende

Anfang

